UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Petronii "Cena Trimalchionis"

Petronius <Arbiter>

Heidelberg, 1909

Testamentum porcelli

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-3183

Visual Library

Testamentum porcelli.

Diese volkstümliche Parodie der juristischen Testamentsformen war schon Hieronymus bekannt (in der Vorrede zum 12. Buch seines Jesaias-Kommentars, S. 493 ed. Vallarsi: multo pars maior est Milesias fabulas revolventium quam Platonis libros . . . denique Timaeum de mundi harmonia astrorumque cursu disputantem ipse qui interpretatus est Tullius se non intellegere confitetur, testamentum autem Grunnii Corocottae porcelli decantant in scholis puerorum agmina cachinnantium). *Die erste kritische Ausgabe mit ausführlichem Kommentar veranstaltete M. Haupt im Berliner Lektionsverzeichnis vom Sommer 1860 (= opusc. II, 175ff.). Wir geben den Text nach der Feststellung Buechelers in seiner letzten Petronausgabe (1904), S. 243fg., wo auch neues handschriftliches Material benutzt ist.*

Incipit testamentum porcelli:

M. Grunnius Corocotta porcellus testamentum fecit. quoniam manu mea scribere non potui, scribendum dictavi.

Magirus cocus dixit. 'veni huc, eversor domi, solivertiator[1], fugitive porcelle, et hodie tibi dirimo vitam.' Corocotta porcellus dixit 'si qua feci, si qua peccavi, si qua vascella pedibus meis confregi, rogo, domine coce, vitam peto, concede roganti'. Magirus cocus dixit 'transi, puer, affer mihi de cocina cultrum, ut hunc porcellum faciam cruentum'. porcellus comprehenditur a famulis, ductus sub die XVI Kal. Lucerninas, ubi abundant cymae, Clibanato et Piperato consulibus. et ut vidit se moriturum esse, horae spatium petiit et cocum rogavit, ut testamentum facere posset. clamavit ad se suos parentes, ut de cibariis suis aliquid dimitteret eis. qui ait:

'patri meo Verrino Lardino do lego dari glandinis[2] modios XXX, et matri meae Veturinae scrofae do lego dari Laconicae

[1] soliverriator, *eine Hdschr. bei Haupt, viell. richtiger* (*vgl.* everriator). — [2] glandis *ein Teil der Hdschr., ebenso Buech.* (vgl. Archiv f. lat. Lex. XV, 548).

siliginis modios XL, et sorori meae Quirinae, in cuius votum interesse non potui, do lego dari hordei modios XXX. et de meis visceribus dabo donabo sutoribus saetas, rixoribus[1] capitinas, surdis auriculas, causidicis et verbosis linguam, bubulariis[2] intestina, esiciariis[3] femora, mulieribus lumbulos, pueris vesicam, puellis caudam, cinaedis musculos, cursoribus et venatoribus talos, latronibus ungulas. et nec nominando coco legato dimitto popiam et pistillum, quae mecum attuleram; de Theveste usque ad Tergeste liget sibi collum de reste. et volo mihi fieri monumentum ex litteris aureis scriptum: "M. Grunnius Corocotta porcellus vixit annis DCCCC · XC · VIIII · S · quodsi semis vixisset, mille annos implesset". optimi amatores mei uel consules vitae, rogo vos ut cum corpore meo bene faciatis, bene condiatis de bonis condimentis nuclei, piperis et mellis, ut nomen meum in sempiternum nominetur. mei domini vel consobrini mei, qui testamento meo interfuistis; iubete signari.'

Lardio signavit. Ofellicus signavit. Cyminatus signavit. Lucanicus signavit. Tergillus signavit. Celsinus signavit. Nuptialicus signavit.

explicit testamentum porcelli sub die XVI Kal. Lucerninas Clibanato et Piperato consulibus feliciter.

---

[1] risoribus *verm. Leo (Thes. l. l. s. v. capitina)*, vixatoribus *andere.* — [2] botulariis *verm. Haupt.* — [3] isiciariis *mit einer Hdschr. Buecheler.*

Kup. 26,7 – 34
47 – 50
77,7 – 78

(Wi) 65267 T